


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Gt
55
450

Gt 55.450.

Bd. 1876.
12434



The Gift of
the University
of Rostock,
Germany,
18 April, 1876.

Boehm, (Friedrich) Otto. 1875.

FONTES RERUM SICULARUM QUIBUS THUCYDIDES USUS SIT SECUNDUM RECENTES WOELFFLINI DE ANTIOCHO SYRACUSANO QUAESTIONES EXAMINANTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

(Friedrich) **OTTO BOEHM,**
SCHOLAE REALIS GRABOVIENSIS MAGISTER.

LUDWIGSLUST 1875.
TYPIS EXPRESSIT D. C. HINSTORFF.
(L. DEICKE.)

Gt55,450

1876, April 18.
Gift of
the University
of Rostock,
Germany.

Thucydides utrum in rebus conscribendis priorum quorundam historicorum libris interdum usus sit, necne, cum jam diu varie disputetur, nunc quidem recentibus Woelfflini quaestionibus* in eis locis, quae sint de historia Siciliae, ab Antiocho Syracusano eum pendere demonstratur. Ac consuluisse quidem Thucydidem in rebus priorum temporum conscribendis veteres historicos et re ipsa et eo potest intelligi, quod certe omnia illorum opera eum legisse ex libro I, 97, 2 apparet, neque, quae ipse dicit V, 26, 5, in exsilium pulsum se utrorumque, cum Atheniensium tum Peloponnesiorum, rebus affuisse, cum illa opinione discrepant; quippe cum, quae ad bellum suorum temporum spectabant, ipse oculis facile videret atque exquireret, quae tamen ex prisca aetate prompta memoriae tradidit, e libris priorum scriptorum facillime haurire posset. In quibus tamen rebus ex aliorum libris petitis non omnes eum, utcunque erant, suo ipsius operi inseruisse jam eo patet, quod ipse affirmavit I, 1, 2 se rerum origines quaesivisse, quoad potuisset et certissima solum maximeque credibilia conscripsisse praetermissis omnibus eis rebus, quas mythologi delectationis causa sine ulla fide fabulose finxissent I, 21, 2. Sed pendeat licet Thucydides ex Herodoto, pendeat ex Hecataeo, pendeat ex quolibet alio: nos quidem examinabimus, num Antiochum Syracusanum secutus sit in historia antiquissima Siciliae conscribenda.

Quare primum videamus, qua aetate Antiochus ille scripserit; deinde num dignum eum Thucydides habere potuerit, quem sequeretur; tum utrum recte Woelfflinus contendat pendere ea, quae de Sicilia nobis ille tradidit, ex Antiochi auctoritate, necne, examinemus.

I.

De aetate Antiochi.

Antiochum Syracusanum, Xenophanis filium, etsi Dionysius Halicarnassensis A. R. I, 12 *συγγραφέα πάνυ ἀρχαῖον* eum appellat,

* Ed. Woelfflin: Antiochus von Syracus u. Coelius Antipater. Winterthur 1872.

tamen Thucydidis aequalem fuisse, quippe quem Diodorus Siculus B. H. I, 12 historiam Siciliae a Cocalo rege exorsum usque ad primum Darii Nothi annum, i. e. CCCCXXIV. a. Chr. natum, composuisse nobis tradiderit, jam Niebuhrius contendit. Sed quod Goellerum* credidisse dicit Woelfflinus p. 16 Antiochum historiam Siculam a Cocali temporibus usque ad Darium Nothum conscripsisse, falli mihi videtur, cum facile intelligi possit Darii regno nihil esse cum historia illa Sicula. Quare eodem modo stultitiae esset ac si diceretur germanice: Geschichte Preussens von Friedrich I. bis Napoleon III. Quod quidem stulte dictum cum nemini attribuere ausim, in Goellerum quoque cumque eo in Diodorum hujusmodi ineptiae ne incusentur cupio. Attamen cum nihilominus Diodorus Antiochum historiam Siculam usque ad primum annum Darii conscripsisse dicat, frustra fortasse in defendendis illis laborare videor; sed non ita est. Etenim cum annum illum, quo Antiochus historiam Siculam finivit, eum fuisse recte Woelfflinus conjecisse mihi videatur, quo Siculi Gelae pacem inter se sanxerunt: equidem Antiochum anni pacis illius certe statuendi causa adjunxisse contendo eundem eum fuisse annum, quo in Persis Darius Nothus Xerxi regi successisset. Quae quidem Diodorus pacem illam omnibus fere ignotam esse ratus memoriae, credo, tradidit. Pari modo legitur in scholio illo ad Pind. Ol. V, 19**, Timaeum tradidisse „Camarinam a Gelensium tyranno dirutam postea a Gelensibus instauratam esse olympiade LXXIX; verum excidium ejus sub illud cadere tempus, quo expeditionem suam fecisset Darius Hystaspes.“

Quibus omnibus de rebus cognoscendum est Antiochum usque ad annum CCCCXXIV a. Chr. natum historia Siciliae conscribenda occupatum saltem fuisse; sed quotiescunque veterum scriptorum libros evolverimus, nusquam tamen inveniemus, qua aetate mortuus ille sit: ut facile sit intellectu opinionis illius, qua paulo ante Thucydidem eum scripsisse contendatur, auctorem esse Niebuhrium.*** Quod quidem quo modo Niebuhrius demonstret, afferre nescio, praesertim cum ne Woelfflinus quidem, illo nisus, argumentis opus esse credere mihi videatur: ut, quo jure superiorem aliquanto eum fuisse Thucydide Woelfflinus contendit, eodem nos et superstitem eum possimus dicere et eum quoque, ut Thucydidem, morte impeditum esse, quominus histo-

* Goeller: De situ et origine Syracusarum. Leipzig 1818. Cf. Prooem. p. VIII.

** Cf. Fragm. Timaei 91. a.

*** Niebuhr: H. R. p. 19 ed. tert. sive p. 27 ed. prim.

riam Siciliae finiret. Sed licet aliquantulo ante Thucydidem scripserit, nullo modo tamen Woelfflinus potest contendere neque jam vidisse eum bellum illud contra Syracusanos gestum p. 16, et consuli eum debuisse a Thucydide p. 8. Etenim cum eadem fere aetate fuisse eum qua Thucydidem Woelfflinus certe non negaturus sit, nulla ratione demonstrare poterit huic eosdem fontes non auxilio fuisse, ex quibus vera quaereret, quos Antiocho; etsi non traditum utique nobis est in Siciliam Thucydidem esse profectum. Siquidem id quoque nusquam scriptum invenies, non fuisse eum in Sicilia.

Quare cum nullis veterum testimoniis indicetur Antiochum Syracusanum sive multo ante Thucydidem historiam suam composuisse sive floruisse inter Herodotum atque illum, nullo modo absolute contendi posse credo Thucydidem uti eo et potuisse et debuisse.

Sed licet ea demum aetate Thucydidem scripsisse, qua uti posset Antiochi historia, quod quidem testimoniis non comprobatum vidimus, tamen hoc quoque ipsum ea condicione solum concedendum est, ut cum Kruegero* pro certo habeamus totum historiarum opus non nisi bello Peloponnesiaco finito a Thucydide esse inceptum. Etenim ut taceam de eo, quod jejunum annalium scriptorem eum futurum fuisse Kruegerus dicit, si durante bello scripsisset: certe tamen, cum ne Herodoti quidem historias ea aetate in omnium manibus fuisse jam Dahlmannus recte admonuisse mihi videatur**, nescio quomodo non multo magis recondita fuerit Antiochi illa historia Sicula; praesertim cum Woelfflinus in quaestionibus suis p. 20 dicat: „Man wird daher die veröffentlichung der Σικελιῶτις συγγραφή bald nach 420 setzen dürfen.“ Sed licet recte conjecisse Woelfflinum credamus, tamen nusquam fieri potuit, ut recentem tum librum illum modo in publicum datum Thucydides exsul inspiceret, nisi in Italia aut in ipsa Sicilia. Quare si demonstratum erit Woelfflini quaestionibus Thucydidem Antiocho esse usum, tum etiam non dubitari poterit, quin exsul ille in altera utra terra fuerit.

II.

De Antiochi fide et auctoritate.

Credamus igitur Woelfflino Thucydidem exsulem in Italia aut in ipsa Sicilia Antiochi historiam fortasse invenire potuisse; tamen quaeritur, dignamne eam habuerit, qua uteretur. Dicit enim Woelfflinus in quaestio-

---

* Krueger: Analecta, p. 68/69 et 121.

** Cf. Roscher: Leben, werk und zeitalter des Thucyd., p. 122.

*

nibus suis p. 8 „Antiochum non λογογράφον fuisse, sed συγγραφέα, cui Thucydides omnino confidere potuisset", et infra „sine vitio eum a Thucydide non fuisse praetermittendum. Quod quo jure dici possit nescio. Etenim quod Dionysius Halicarnassensis A. R. I, 12 profitentem eum facit se certissima solum e veterum monumentis fideque dignissima tradere velle, eo ipso non datur colligere Thucydidem ei confidere debuisse, cum ne conjectura quidem statuendum sit, quae ille certissima, quae non habuerit. Nec quae dicit Antiochus de servis illis qui vocantur Helotes*, Woelfflino sunt utilitati. Quid? Nonne ipse Herodotus multa tradidit incredibilia? Qui quidem certissima tantum pro veri investigandi studio conscribere dicebatur quique ridere se ipse dicit IV, 36 videntem multos descripsisse terrae circuitus nullum habentes in exponendo sensum. At Dionysius A. R, I, 73 οὐ τῶν ἐπιτυχόντων τινὰ οὐδὲ νέων συγγραφέα appellat Antiochum. Heu magnam veteris auctoris laudem, quippe qui in eundem Thucydidem nostrum, quem summo jure omnino illi confidere debuisse Woelfflinus dicit, gravissimis verbis saepissime invehatur! Sed utut est, ex uno tamen illo loco non tantum colligere possumus, quantum opus est, ut omnium priorum Antiochus habeatur princeps; praesertim cum neque ipse a quoquam alio eadem fere ratione laudetur, et ex ceteris illorum temporum historicis permulta exstent fragmenta, vel ipsa plura quam ex Antiochi historiis. Quare ab omnibus certe par habebatur ceteris.

Magni momenti etiam Woelfflinus p. 9 credit esse, quod Antiochus non nisi συγγραφεὺς ejusque opus σύγγραμμα sive συγγραφὴ appelletur. Quamquam cunctis fere mythologis idem ab historicis locis permultis adscribitur, quae quidem omnia afferre longum est. Nec minus ipse Dionysius Hellanicum quoque illo cognomine significat A. R. I, 48. Accedit quod et Suidas ille Ἑκαταῖον πρῶτον ἱστορίαν πεζῶς ἐξενεγκέναι, συγγραφὴν δὲ Φερεκύδην tradidit**, et Porphyrius μόνον ἡγεῖται ἀρχηγὸν συγγραφῆς Φερεκύδην***.

Ergo cum ne id quidem pro certo ponendum sit, Antiochum fuisse omni modo dignissimum omnium priorum, nullo jure contendi posse credo a Thucydide eum sine vitio non fuisse praetermittendum. Alio contra modo certe melius dici poterat Thucydidem eo usum non esse, quia re vera omnium priorum fide auctoritateque dignissimus

*) Fragm. Antiochi 14, apud C. Muellerum p. 184.
**) Suidas sub Ἑκαταῖος. C. Muelleri fragm. p. IX nota.
***) Suidas sub Φερεκ. Ἀθηναῖος. C. Muelleri fragm. p. XXXIV.

fuisset; sed si Thucydides eo usus esset, digniorem ei ceteris Antiochum visum esse, quem sequeretur.

Sed veniamus nunc ad eam quaestionum partem, qua Woelfflinus ex historiarum Antiochi fragmentis demonstrare studeat Thucydidem ab illo pendere. Cumque prius dicat de libri sexti capitibus 2—5, quippe quae maxime Antiochea habeant, tum de locis quibusdam libri III et IV, nos quoque hunc ordinem sequemur.

III.

Quae ex Antiochi historia Sicula Thucydides hauserit examinantur.

Quod Thucydides in historia sua neminem priorum scriptorum nisi Homerum nomine appellat, non pro argumento uti possumus, non eum quemquam eorum consuluisse, etsi I, 97, 2 affertur etiam Hellanicus. Sed cum saepissime rebus quibusdam adjungatur verbum *λέγεσθαι* aut *φαίνεσθαι*, prius Woelfflinus credit spectare ad eas, quae vel ab aequalibus vel ab Homero narrentur quasque ipse Thucydides audiverit, alterum ad eas, quas apud alios legerit. Consentaneum est id non ab omnibus horum verborum formis posse dici, nisi a *λέγεται* et *λέγονται*, *φαίνεται* et *φαίνονται*. Sed age amplius quaeramus.

α) Verbum *λέγεται* jam Bentleius contendit ab historicis usurpatum esse, non ubi testes defuerint idonei, sed contraria virtute, cum inter scriptores convenerit*. Woelfflinus contra, quem quidem haec Bentlei legisse persuasum mihi est, *λέγεται* referri dicit ad Homerum eosque, qui sint Homero similes p. 3; quod quidem idem est ac referri *λέγεται* ad hominum sermones. Nihilominus tamen ad ea, quae Thucydides tradit III, 116, 2: *λέγεται δὲ ῥυῆναι* (*τὸν τῆς Αἴτνης ῥύακα*) recte Kruegero videri dicit verbum *λέγεται* solum fontem narrationis, non incertam eam esse indicare**. Quam quidem Kruegeri opinionem veram esse etsi ego quidem intelligo, tamen mirum in modum Woelfflino quoque apparere videtur, quamvis Thucydidem illo loco usum esse Antiocho contendat. Quare sibi ipsi Woelfflinus dicit contraria. Etenim quamquam verbum *λέγεται* ad Homerum tantum hominumque sermones spectare posuerat, hoc tamen loco Antiochum indicari putat; nec scio an auctore Kruegero. At si Kruegeri illa** perlegeris, nusquam invenies, quem tandem fontem verbo *λέγεται* hoc

---

* Goeller: de situ Syrac. p. 6.
** Krueger: Analecta p. 62.

loco indicari dixerit. Immo vero ita scriptum est, ut Kruegero certe nuntius aliquis indicari videatur, nullo modo Antiochus aliusve historicorum. Sed satis sit de Kruegeri auctoritate mirum in modum appellata, etsi ignotum Woelfflino esse non poterat, omnino illum negare Thucydidem quoquam in antiquissima Siciliae historia conscribenda esse usum.*

β) Verbum *φαίνεται* Thucydidem usurpasse Woelfflinus contendit, quo scriptos fontes indicaret, scilicet excepto Homero. Consentaneum est verbum *φαίνεσθαι* hac ratione positum esse pro passivo verbi *ἀποφαίνειν*. Ac perlectis quidem omnibus locis, quibus adjungitur *φαίνεται* et *φαίνονται*, persuasum mihi est hanc Woelfflini de verbo illo opinionem admitti posse, sed non excepto Homero, quippe ad quem interdum referatur, ut I, 9, 3 et 10, 4.

Quare cum certissime non perspiciendum sit, quibus condicionibus Thucydides usurpaverit verbum *λέγεσθαι* et quibus *φαίνεσθαι*, nullo modo Woelfflinus colligere posse mihi videtur verbo *φαίνονται* VI, 2, 2 indicari scriptos fontes.

A. Thucydides ab Antiocho pendere dicitur in libro VI, 2—5.

a) Quae a Thucydidis sermone abhorreant examinantur.

Woelfflinus cum illas de verbis *λέγεσθαι* et *φαὶνεσθαι* quaestiones non magni momenti esse ipse concedat, quippe quibus colligi non possit, quos tandem scriptores Thucydides secutus sit, nonnulla affert, quae a scribendi ejus ratione abhorrere dicat. Quae quidem sunt:

1. Th. VI, 2, 1 *παλαιότατος* pro *παλαίτατος*.

Kruegerus ad I, 4, 1 dicit, in libro I, 18, 2 omnia Mss. afferre *παλαιοτάτον*. Nec minus I, 1, 2 positum est *παλαιότερα*. Quare nihil alieni habet illud *παλαιότατος*.

2. Th. VI, 2, 1 *ὅστις* pro *ὅς*.

Hic pronominis relativi usus ut multo abhorret a Thucydidis scribendi ratione, ita saepissime invenitur apud Herodotum ionice scribentem. Quare ponendum est Iones et *ὅστις* pro *ὅς* et *ὅς* pro *ὅστις* usurpasse. Contra Thucydides, Atticorum scriptor, pronomine illo *ὅστις* pro *ὅς* non nisi hoc loco utitur. Etenim etsi contraria virtute *ὅς* pro *ὅστις* apud Thucydidem ponitur I, 136, 3; V, 41, 1; V, 111, 1; VIII, 46, 2 et VIII, 50, 5, nusquam tamen *ὅστις* invenitur pro *ὅς*, excepto libro I, 137, 2; quo tamen loco ita pronomen illud usurpatum est, ut interrogationem inchoet. Nam etsi in interrogationibus affirmativis pronomine *ὅς* scriptores Attici pro *ὅστις* uti solent,

* Videas etiam ea, quae dixi III. B. b. 1.

tamen ὅστις quoque interdum inveniri grammatici docent, ut facile sit intellectu nostrum ὅστις conferri non posse cum illo in libro I, 137, 2. Quare cum semel tantum id ὅστις suae scribendi rationi Thucydides inseruerit, suo jure Woelfflinus opinari potest hoc loco ab alio quodam Ionum scriptore eum pendere. Sed num credamus ab Antiocho? At Hippys quoque Rheginus historiam Siculam scripserat. Neque illud Hecataei opus „περιήγησις γῆς" Thucydidi ignotum esse poterat. Sed cum in fragmento illo Antiochi a Dionysio Halic. I, 12 nobis tradito eundem pronominis relativi usum inveniamus, hoc solum jam argumento esse dicit Woelfflinus Thucydidem Antiochi historia esse usum. Heu miseram locorum comparationem! Etenim nescio, quis non videat communi hoc relativi usu nihil indicari, nisi Antiochum quoque, ut omnes ante Thucydidem scriptores Ionum usum esse dialecto: quod quidem multo melius intelligi potest e formis ἐόντης et Ἰταλίητες apud Dion. Hal. I, 12.

3. Th. VI, 3, 2 *τοῦ ἐχομένου ἔτους* pro *ἐπιγενομένου ἔτους*.

Verbum *ἔχεσθαι* apud Thucydidem ad regiones tantum spectare recte Woelfflinus admonuit. At omnibus Thucydidis libris perlectis nullo loco scriptum invenies *ἐπιγενομένου ἔτους* = postero anno, germanice: „im folgenden jahre." Etenim cum anni dividantur in aestates et hiemes, consentaneum est, ut tantum invenias *ἐπιγενομένου θέρους* et *χειμῶνος*. Quare illud *ἐχομένου ἔτους* eodem modo semel dictum est, ut *σχεδία*, *δρέπανον*, *δρεπανοειδής*, *ἑσπέριος* et *μεσημβρινός*. Sed utut est, tamen alieni aliquid inesse potest, etsi Antiochei nihil invenio.

4. Th. VI, 4, 2 *τοὺς κληθέντας*; VI, 4, 5 et IV, 24, 4 *κληθεῖσαι* pro *καλούμενος*.

Hic quoque dicendi usus a Thucydidis sermone certe abhorret, etsi verba illa VI, 4, 5 „*ὑπὸ τῶν Σικελῶν κληθεῖσα*" non idem exprimunt ac *ὁ καλούμενος*, germanice „sogenannt", sed „de Siculis appellata". Nihilominus autem ceteris locis Thucydidi non scribendum erat *ὁ κληθείς*, etsi ne hoc quidem Antiochus indicatur. Nam fragmentis Antiochi simulque Hecataei, Xanthi,eɪ lHanici, Pherecydis consultis nusquam inveni *ὁ κληθεὶς* pro *ὁ καλούμενος*, latine „quem vocant", etsi non raro Ionum ratione saepissimeque apud Pherecydem aoristi passivi usus perspici potest*. Praeterea multis locis *ἐκλήθη* ponitur pro *ἐκαλεῖτο*, quae omnia afferre longum est. Contra omnes illi logographi Atticorum more „*ὁ καλούμενος*" (sogenannt) eodem semper

* Cf. fragm. Hecat. 49 et 341; Hellan. 45; Pherecyd. 55 cum Thucyd. VI, 4, 5 et I, 3, 4.

modo exprimunt, ut nequaquam quaeratur ὁ κληθείς*. Quare si unus tantum locus ex Antiochi fragmentis afferretur, quo pro ὁ καλούμενος scriptum esset ὁ κληθείς, significans scilicet quod nos dicimus „sogenannt", certe, quia proprium illius haberi posset, magno usui esset Woelfflino. Sed cum neque ex ipsius fragmentis neque eis, quae e Philisti Timaeique operibus nobis tradita sunt, illius formae usus appareat, cumque horum uterque, quamvis Antiochum secutus, pro ὁ κληθείς utique semper scribat ὁ καλούμενος, nullo modo Antiocheum dici potest illud κληθείς.

5) Th. VI, 2, 5 et VI, 5, 2 ἐγγύς et VI, 4, 4 et 5 ἐγγύτατα pro μάλιστα.

Breviter simpliciterque Woelfflino concedendum est has enunciationes et abhorrere a Thucydidis sermone et quasi digito alium quendam auctorem monstrare. Sed quem tandem? Ex Antiochi fragmentis nihil possum colligere.

6) Th. VI, 2, 6 ἕνεκεν pro ἕνεκα.

Hoc quoque vocabulum certe non est Thucydideum. Nam etsi in libro I, 68, 4 quoque invenio ἕνεκεν, Kruegerus tamen affirmat pauca illa Mss., quae id praebeant, nullius esse momenti. Eadem de causa fortasse mutatum est VI, 2, 5 βοῤῥᾶς ex βορέης, cui adjungi potest βοῤῥᾶν.

7) Auctorem illum, e cujus operibus Thucydides totam libri sexti digressionem excerpserit, Antiochum, distinguere Woelfflinus contendit verba οἰκεῖν, νέμεσθαι et οἰκίζειν (κτίζειν); adeo ut barbaris cum Carthaginiensibus adscribatur οἰκεῖν, Carthaginiensibus solis νέμεσθαι, Graecis οἰκίζειν, quod idem est ac κτίζειν. Quae tamen a Woelfflino non recte distingui docet Th. liber III, 88 collato Pausaniae illo fragmento de Aeoli insulis**; de quibus locis auctore ipso Woelfflino idem, credo, dici debet ac de illis libri sexti. Nam Thucydides III, 88 Liparaeis adscribit νέμεσθαι et οἰκεῖν, Pausanias eisdem κτίζειν sive οἰκίζειν et οἰκεῖν. Quare nescio an Woelfflino consilium dem, ut hoc quoque loco οἰκεῖν pro κτίζειν et νέμεσθαι commendet. Etenim ne in ipsis quidem libri sexti capitibus 2—5 Woelfflini illud potest esse probabile, nisi compluribus verbis mutatis. Itaque cum nonnulla Mss. VI, 2, 2 ἐνοικησάμενοι pro ἐνοικισάμενοι, VI, 2, 6 ξυνοικήσαντες pro ξυνοικίσαντες, nec minus VI, 4, 3 omnia ἐνοικῆσαι praebeant, pro quo Woelfflinus p. 5 et 6 οἰκίσαι commendat, tantum ut rata sint, quae de tribus illis verbis extricaverat: nemo

* Fragm. Hecat. 105. 172. 216. 227; Xanth. 2; Hellan. 1. 136.
** Antiochi fragm. 2.

credo, negabit opinionem illam Woelfflini esse vanam. — Atque has quidem septem enunciationes non esse Thucydideas Woelfflinus contendit. Quae quod in fragmentis Antiochi non inveniuntur, non possunt esse argumento Thucydidem illo non esse usum; quippe cum pauca tantum ex historiis eius tradita habeamus paucissimaque orationis directae. Quare non nisi rebus ipsis, quas Thucydides narrat, demonstrari potest, utrum hausta omnia ea sint ex Antiocho, necne.

b) Res ipsae examinantur.

Priusquam res ipsas in digressione illa sexti libri a Thucydide narratas examinare aggrediar, temperare mihi non possum, quominus virorum duorum haud dubie litteris doctissimorum sententias, quas quidem legi, inter se conferam: Kruegeri et Woelfflini. Ac posuit quidem Kruegerus* excursum illum in transitu tractans, totam illam de antiquissima Sicilia narrationem, nullo fere vinculo cum bello describendo cohaerentem, cum vitii aliquid in se haberet, nulla alia de causa a Thucydide operi insertam esse, quam ne, quae ipse historicus quaerendo invenisset, oblivioni dederentur. Contra Woelfflinus initio quaestionum suarum officium fuisse Thucydidis antiquissimi Siciliae status rationem habere contendit. Atque uter quidem veriora invenerit, nescio quo modo possit decerni; sed uter credibiliora dixerit, facile est intellectu. Etenim Thucydidem totum bellum illud cum Peloponnesiis gestum tractaturum initioque primi libri de antiquissima Graecia nonnulla nobis tradentem quis vituperabit? Res se ipsa declarat. Quodsi initio sexti libri scriptum invenimus bellum Syracusanum aeque grave fuisse atque illud cum Peloponnesiis gestum, insciosque esse Athenienses Siciliae et magnitudinis et incolarum: nonne optimo jure contendi potest fuisse Thucydidis narrare aequalibus omnia, quae ipse aut legerat aut oculis viderat? Atque ut ridiculum est credere omnia ea, quae de antiquissimae Graeciae statu nobis traduntur, suis ipsius debere Thucydidem quaestionibus, ita melius etiam dici id potest de libri sexti initio.

Sed quem tandem secutus est Thucydides in tota illa digressione conscribenda? Antiochumne an alium? Woelfflinus, cui persuasum est Siciliae quodam scriptore Thucydidem esse usum, Syracusanum illum fuisse contendit, quippe qui nobis tradiderit falcem Siculos appellare *ζάγκλον*. Quod tamen Antiochum tradidisse non possum colligere. Etenim nonne eodem modo ipse Thucydides, cum in regiones

* Krueger: Analecta p. 48.

illas venisset, aut conjectura sua aut ex incolis quaerendo in opinionem induci potuit ex ipso urbis Zavcles situ nomen ei esse datum? Nec minus omnia ea, quae de Naxo, Syracusis, Gela apud Thucydidem legimus, ex ipsius quaestionibus possunt esse hausta. Nam utut res se habet, mihi quidem constat Thucydidem ea, quae de Apollinis ara Naxi condita nobis tradidit, non scripturum fuisse, si ipse neque urbem illam neque aram vidisset. Rursus autem non nego, non esse credibile in Sicilia versanti ei Antiochi libros potuisse esse occultos; quippe cum unus alterve Syracusanorum de qualibet Siciliae re interrogatus facile ei commendaret illius historiam Siculam*.

At etsi omnia, quae de variis Siciliae urbium condicionibus apud Thucydidem legimus, ipse historicus invenire potuit, tamen annis ipsis, quibus conditas singulas urbes esse scripsit, indicatur ab alio quodam eum pendere.** Nam cum omni et originum et coloniarum ratione neglecta Leontinorum urbem quinto, Gelensium quadragesimo quinto anno post Syracusas inveniamus conditas, persuasum nobis esse debet haec non nisi ab ipsis Syracusanis poni potuisse aut ab eis, qui praepotentes Syracusas esse silentio approbarent. Quid? Nonne revera Syracusani totius insulae erant domini, quorum quidem viribus quid effici posset Athenienses cumque eis Thucydides ante omnes intellexerant? Quare facile quis dicat nihil se mirari, quod ab eo anno, quo potentissima illa Siciliae urbs sit condita, omnes aliae quasi coloniae deducantur. At qui illud fieri potuit? Nequaquam enim quaerimus illum ipsum annum, quo Syracusae sint conditae. Quod tamen ipsum bono verti potest Thucydidi. Etenim num qua ratione inveniendus erat ille annus fabulose fixus? Nescio igitur, quomodo non contendi possit Thucydidem, omnia fabulosa rejicientem, illum quoque annum voluntate praeteriisse.

Sed agedum videamus, quibus temporibus colonias Graecas in Siciliam ductas esse Thucydides putet. Dicit enim in libro I, 12 cunctas colonias Graecas et Italiae et Siciliae non nisi bello Trojano finito esse conditas; et porro in libro VI, 2, 5 Siculos trecentis annis prius in Sicilia fuisse quam Graecos. Ecquid amplius scire potuerit de antiquissimo illo Siciliae statu, non ausim contendere; nisi forte omnia, quae mythologi narraverant, pro vero habere voluit. Contra facile erat exquisitu primum Naxum, deinde Syracusas, tum Leontinos ceterasque deinceps urbes Graecas esse conditas, quamque longo annorum spatio singulae inter se distarent. Quae omnia in

*) De hac re plura dicemus III, B, b, 4.
**) Cf. Th. VI, 3 et Woelfflini quaest. p. 6 et 7.

singulis urbibus, quas quidem Thucydides viserat, quaerendo ipse facile poterat invenire nulla Antiochi habita ratione. Quid, quod jam Hellanicus[1]) Naxum omnium Graecarum urbium primam conditam tradidit! Nonne etiam plura ejusmodi de aliis Siciliae urbibus illum aliosve memoriae tradidisse credamus, quae quidem Thucydides bono jure posset credere? Quare etsi credibile est Antiochum quoque Thucydidis illa annorum descriptione esse usum, eamque Thucydidem vel esse secutum, tamen argumentis nihil potest, credo, demonstrari.

Veniamus nunc ad ea, quae Woelfflinus profert in quaestionibus suis p. 10.

Ac primum quidem magni momenti esse dicit, quod Thucydides Antiochum secutus a rege Italo[2]) peninsulam appellatam esse Italiam tradiderit. Qua quidem sola re et veri argumenti aliquid indicari neque quidquam probari mihi videtur. Nam ut ea, quae de Italo illo rege narrantur, apud Thucydidem solum Antiochumque inveniuntur, ita aliis quoque in rebus quibusdam aeque alia Thucydides tradit atque Hecataeus, Hellanicus, Apollodorus. Itaque eodem jure haec quoque ex Antiochi historia hausta esse contendi potest. Ac sunt quidem haec:

α) Thucydides nomen Zavcles a forma urbis ductum tradit; Hecataeus[3]) a falce illa Jovis ibi abscondita.

β) Thucydides Gelensium urbem a fluvio appellat Gelam; Hellanicus[4]) a Gelone rege.

γ) Thucydidi et Philisto[5]) Sicani a Sicano quodam Iberiae fluvio emigrasse videntur: Hellanico[6] credo ab urbe Σικάνη eorundem locorum. At neque urbs Σικάνη neque fluvius Σικανός in Iberia invenitur.

δ) Eodem modo Thucydides cum Antiocho Italiam de rege Italo dictam esse tradit; Hellanicus cum Apollodoro de italo vel itulo[7]).

Quibus omnibus rebus collatis facile possumus credere Thucydidem in eis quoque rebus, quibus ab aliis discrepat, ab Antiocho pendere. Quam quidem opinionem non esse ridiculam re ipsa demonstratur. Rursus autem intelligendum est, cum utrorumque sententiae in se habeant fabulosa, cumque de singulis locis quid priores viritim

---

[1]) Fragm. Hellan. 50.
[2]) Cf. Th. VI, 2, 5 cum Antiochi fragm. 4.
[3]) Hecat. fragm. 43. [4]) Hellan. fragm. 104.
[5]) Philist. fragm. 3. [6]) Hellan. fragm. 15.
[7]) Hellan. fragm. 97 et C. Muelleri fr. p. 140, Nr. 9.

scripserint difficile sit exquisitu, ex uno illo loco communi non utique quidquam posse colligi.

At forte quis dicat Antiochi quoque Thucydidisque exstare discrepantiam quandam, quod Motyam urbem ille a Cvidiis, hic a Carthaginiensibus conditam esse scripserit. Atque ita quidem Wesselingus [1]) hunc etiam scrupulum exstare dicit, quod Antiocho Motya a Cvidiis condita esse scribatur, Thucydidi a Carthaginiensibus. Quam quidem discrepantiam etsi declarare studet Wesselingus, tamen frustra operam dare mihi videtur. Etenim etsi Thucydides VI, 2, 6 Motyam a Carthaginiensibus conditam esse tradidit, nequaquam tamen ex secundo Antiochi fragmento cognoscere studui, ubinam hic Cvidios Motyae auctores appellaverit; cum nihil invenerim nisi Cvidios in promontorio Pachyno (rectius Lilybaeo) urbe quadam condita ab Elymis Carthaginiensibusque esse depulsos. Quam quidem urbem debere esse Motyam nemo potest, credo, extricare. Quare ea quae videtur discrepantia non impedit, quominus Thucydides Antiochum secutus sit. [2])

Sequuntur ea, quae de emigratione Siculorum [3]) Woelfflinus profert, p. 10.

Thucydides Siculos ab Opicis pulsos esse tradit; Antiochus ab Opicis Oenotrisque. Quae quidem mihi quoque levissima videtur esse discrepantia, cum Thucydides verborum Antiochi recordatus, quibus Morgetes ille [4]) cum Italis Siculisque unum populum Oenotrorum appellaverat, nostro loco Oenotrorum nomen affinitatis causa fortasse exstinxerit; siquidem scribere noluit Siculos ab Opicis, Morgetibus Italisque esse depulsos. At idem ei quoque accidere potuit, quod Niebuhrio. [5]) Qui quidem multa de Thucydide Antiochoque locutus omnia confundens illum dicit tradere Siculos pulsos esse ab Opicis Oenotrisque. Quod tamen utut est, nullo modo magni momenti esse potest.

Quamquam quae porro profert Woelfflinus, non possum praetermittere. Dicit enim, quod apud Thucydidem et Antiochum pariter scriptum legamus Siculos ab Opicis pulsos ex Italia in Siciliam immigrasse, eo pluris esse habendum, quod alii horum loco Umbros, Pelasgos, Aborigines appellaverint. „Alii“, andere, dicit, non „ceteri“, die andern; qui tamen soli melius eum adjuvare possunt. Praeterea quis hos appellat? Philistus et Dionysius Halicarnassensis! Qui quid

---

[1]) Goeller: de situ Syr. Prooem. p. XI.
[2]) De fragmento illo Antiochi plura dicemus III, B, b, 3.
[3]) Cf. Th. VI, 2, 4 et Antiochi fr. 1.
[4]) Antiochi fr. 3.
[5]) Niebuhr H. R. I, 92 ed. tert.

demonstrent nescio, cum ea tantum testimonio esse posse mihi videantur, quae singuli scriptores ante Antiochum Thucydidemque varie tradiderant, ut Hippys, Hellanicus, Hecataeus ceterique. Sed quod equidem scio, nemo praeter Philistum Dionysiumque Woelfflinum adjuvat; nisi forte ea, quae Dionysius A. R. I, 22 initio de se ipso dicit, referantur ad Hellanicum. Sed confer Niebuhrii H. R. I, 53; Philisti fragm. 2; Hellanici fragm. 53.

Sed sunt etiam, quae huic quaestionum parti quasi appendices adjungam, cum nullius momenti mihi videantur esse. Dicit enim Woelfflinus in quaestionibus suis p. 12, jam Niebuhrium animadvertisse Thucydidis Italiam congruere cum Antiocho [1]). At quid multa? Num forte tanta negligentia fuisse Thucydidem credamus, ut nesciret, quas in partes Magna Graecia illa esset divisa? Ac licet fuerit hujus rei inscius: nonne facile erat exquisitu Tarentum Japygiae esse urbem, Metapontum Italiae? Etenim quae jam sunt vera, nemo, credo, tradere potest etiam veriora. Praeterea cum eodem collato Niebuhrio I, p. 20 intelligendum sit Italiam illa aetate a Japygia et Opicia accurate fuisse discretam, ipse Thucydides non potuit tradere contraria.

Quae amplius Woelfflinus opinatur, videntur mihi non esse meliora. Posuit enim p. 15, cum ea, quae Pausanias V, 25, 6 de Siciliae incolis scripsisset, congruerent cum Thucydide [2]), omnia illa hausta esse ex Antiocho; praesertim cum uterque Phocenses in Siciliam immigrasse tradidisset. Sed cum Pausanias ex quo fonte hauserit non indicet, Thucydide quoque usum eum esse possumus contendere. Nam quod sunt quaedam terque quaterque verisimilia, eo ipso non opus est, ut jam sint demonstrata [3]).

Atque haec quidem habui, quae Woelfflino adhuc opponerem Thucydidem in initio sexti libri ab Antiocho pendere dicenti. Cumque omnia fere, quae protulit ille, etsi non ficta, attamen vix verisimilia tantum esse mihi videantur, re vera in secretam illam regionem, quam dicit p. 12, abductum me esse credo, ut cum Wesselingo exclamare cogar: in tanta rerum caligine quis decernet? Quare libentissime Niebuhrium ductorem sequerer, si utilitati mihi esset, appellare cujusquam auctoritatem.

---

[1]) Cf. Th. VI, 44 et VII, 33; Antiochi fr. 4 et 6; Niebuhr H. R, I, pag. 18 et 19.

[2]) Th. VI, 2, 6.

[3]) Videas etiam quae dixi III, B, b, 3.

B. Thucydides ab Antiocho pendere dicitur locis quibusdam libri III et IV.

a) Quae a Thucydidis scribendi ratione abhorreant examinantur.

Consentaneum est in quaerendis testimoniis, e quibus pateat Thucydidem ut in libro sexto ita in aliis quoque rebus conscribendis usum interdum esse Antiocho, multo cautius etiam nobis esse agendum, quam in antiquissima Siculorum historia libri sexti examinanda. Etenim cum ea, quae quaeruntur, facillime ubique occurrere videantur, nobis quoque cavendum est, ne Thucydidea attribuamus Antiocho. Cumque Woelfflinus ipse concedat Thucydidem exceptis capitibus illis libri sexti libere summatimque Antiocho esse usum, ea tantum denegare ei poterimus, quae aliena esse certissime constet. Sed videamus, quae Woelfflino non videantur esse Thucydidea.

1) Th. IV, 24, 4 *ἡ κληθεῖσα* pro *ἡ καλουμένη* [1]). De hujus participii usu videas quae dixi p. 9, 4.

2) Th. III, 88, 1 *καλεῖται δὲ Λίπαρα* pro *ἣ καλεῖται Λίπαρα* [2])

Quam quidem sententiarum conjunctionem apud Thucydidem non inveniri vulgarem haud dubie Woelfflino concedendum est. Certe igitur nihil impedit, quominus alienam eam aliqua ex parte putemus. Sed Antiochi quidquam inesse non est extricandam, etsi illam Homeri constructionem libenter usurpasse eum ex septimo fragmento conjici posse videtur. Rursus autem ne singularem eam quidem esse apud Thucydidem ex eis cognoscendum est, quae Poppo in Prolegomenis I, 291 abruptiori sermoni attribuit. Contra Woelfflinus videre potuit ei loco, quem ipse affert in quaestionibus suis p. 14, nihil esse cum nostro. Consentaneum enim, credo, est in libro VII, 78, 3: „*ἦν δὲ λόφος καρτερὸς καὶ ἑκατέρωθεν αὐτοῦ χαράδρα κρημνώδης, ἐκαλεῖτο δὲ Ἀκραῖον λέπας*“ nullo modo pronomen relativum potuisse usurpari. Nam ad *χαράδρα* spectaret, non ad *λέπας*. Sed utut est, argumenti nihil invenio, ex quo pro certo habeatur, constructionem illam debere esse Antiocheam.

3) Tertio loco Woelfflinus pp. 13 et 18 verba quaedam affert, quae semel tantum usurpata alieni aliquid habeant; quibus tamen ipsi Woelfflino nihil demonstrari videtur.

Ac quod paucissima tantum pro locorum amplitudine afferre potuerunt Thucydidis sermoni aliena, non argumento est, non a quoquam eum pendere; quippe cum libere tantum auctore Woelfflino eis in

---

[1]) Cf. W. quaest. p. 13.

locis conscribendis Antiocho usus sit. Itaque res ipsae narratae, de quibus nunc dicendum nobis, eo gravioris erunt momenti.

b) Res ipsae examinantur.

Omnia illa, quae Thucydides excepta libri sexti illa digressione secundum Woelfflini quaestiones ex Antiochi historiis suo ipsius operi inserere potuit, continentur libri III capitibus 86. 88. 90. 99. 103. 115. 116 et libri IV capitibus 1. 24. 25. 58—65. Quorum quidem omnium tria Woelfflinus eligit, quae Antiochea habere constet: III, 116; IV, 24, 4; III, 88. Priusquam igitur ad illa veniam, de his tribus mihi erit dicendum.

1) Th. III, 116. Ad hoc cf. W. qu. p. 12.

Thucydides tertia illa Aetnae eruptione narrata addit: *λέγεται δὲ πεντηκοστῷ ἔτει ῥυῆναι τοῦτο μετὰ τὸ πρότερον ῥεῦμα* etc. Atque ipsum quidem Woelfflinum sibi non constare verbo *λέγεται* Antiochum auctorem indicari contendentem, jam antea, III, *α*, demonstratum est. Quodsi recte dixisset de verbis *λέγεσθαι* et *φαίνεσθαι*, hoc loco certe legeremus *φαίνεται* pro *λέγεται*. Itaque scire non possumus, utrum nostrum *λέγεται* nuntium quendam an historicum indicet.

Ac quod Thucydides ter Aetnae ignes erupisse dicit inde a quo tempore Siciliam Graeci occupassent, quamvis alias ex bello cum Trojanis gesto annos numerare solitus: ne hac quidem ratione Antiochi quidquam est cognoscendum. Etenim mihi quidem Thucydides aliter computare non potuisse videtur, quia nullo modo certe statuendum erat, quotiens Aetnaeorum ignium eruptio facta esset, priusquam Graeci in Siciliam venissent. Qui demum singulas eruptiones computantes posteris numerum tradebant, ut facile esset exquisitu, et quibus annis antea et quotiens Aetna ignes jam evomisset. Et quod primae eruptionis annus non traditur, testimonio est ipsum Thucydidem ejus fuisse inscium; fortasse quod incolae nihil amplius narrabant, nisi: a quo tempore ipsi Siciliam obtinerent, ter tantum Aetnaeos erupisse ignes, et quinquaginta quidem annos interesse inter illam posterioremque eruptionem. Quare alienum, credo, est postulare Thucydidem illas eruptiones ad Trojanum bellum referre debuisse, siquidem quemquam nostrum laedere noluerit. Praeterea ea quoque inspici possunt, quae Kruegerus dicit in Analectis p. 61 ss. et Poppo in Prolegomenis II, 559.

2) Th. IV, 24, 4. Ad hoc cf. W. qu. p. 13.

Dicit Thucydides quaedam de Charybdi. Cujus quidem fabulae memoriam si non ab Homero traditam nobis esse sciremus, certe

nunc quoque verbum λέγεται ad Antiochum referendum esse Woelfflinus contenderet, quia apud Thucydidem legimus: καὶ ἔστιν ἡ Χάρυβδις κληθεῖσα τοῦτο, ᾗ Ὀδυσσεὺς λέγεται διαπλεῦσαι. Contendere tamen Woelfflinus videtur, quod ἡ κληθεῖσα enunciatio non sit Thucydidea, ea quoque, quae de situ Charybdis narrantur, esse aliena. Quae tamen nec recte dicta mihi nec testimoniis refutari posse videntur; quippe quae, ut in tali re, ex utraque parte frustra quaerantur. Id tantum moneo Thucydidem virum literatum certe non ignorasse, ubi terrarum Charybdis illa inde ab Homero fabulose tradita versari diceretur; ut Antiochi illam descriptionem facillime posset praeterire.

3) Th. III, 88. Ad hoc cf. W. qu. p. 13. Dicitur de Aeoli insulis.

Hanc de Aeoli quattuor illis insulis narrationem si semel tantum apud Thucydidem legeremus collato illo Antiochi fragmento a Pausania [1]) servato, dubitare non possemus Woelfflino concedere et Thucydidem et Pausaniam pendere ab Antiocho. Sed iterum iterumque accuratius spectantibus nobis non utique ita colligi posse intelligendum est.

Ac primum quidem illa de Pausania sententia non est propria Woelfflini; quod tamen et ipsa credere et aliis persuadere videtur, cum dicit p. 14: „dem Antiochus direct (scilicet Pausanias secutus est) oder einem autor, der den Antiochos mit namen citirte und seine schilderung ziemlich wörtlich mitteilte, behaupten wir“ etc. Goellerus enim: „Sed tum Thucydidem, ait [2]), tum Pausaniam ab Antiochi auctoritate pendere rectius puto dici.“ Habes Woelfflini sententiam! At huc accedit etiam, quod iterum Woelfflinus ipse secum dissentit. Etenim cum pp. 11 et 20/21 posuisset nec Strabonem nec Dionysium Hal. historia Sicula Antiochi jam uti potuisse, quippe quae oblivioni data jam fuisset: nunc quidem Pausaniam multo posteriorem illis in manibus eam habuisse contendit. Quare quaeritur, quae sint veriora: illane an haec. At quis potest decernere? Quodsi, quod mihi quidem verisimile esse videtur, suis temporibus Pausanias non jam ipsa Antiochi historia uti potuit, hac ratione illius fragmenti auctoritas jam multo deprimitur, quia ex alio quoque rerum scriptore, qui Antiochi nomen afferebat, multa aliena adscribi ei facile poterant. Sed quis tandem est auctor? Thucydides ipse Antiochum non appellat; Timaeum Pausanias non cognovisse videtur, cum nusquam ejus quidquam afferat; sed eo melius Philistum [3]). Quae tamen cunctae

[1]) Pausanias XII, 3. Antiochi fragm. 2.
[2]) Goeller: de situ Syrac. p. X.
[3]) Philisti fr. 46 et 49.

quaestiones nihil adjuvant, quod nescimus, num Hecataeus aliusve priorum Aeoli illas insulas descripserit, et quid scripserit. Nam etsi vel ipso Antiocho Pausaniam usum esse Goellero cumque eo Woelfflino crederemus, utique tamen quaereretur, quatenus Antiochea ille tradidisset. Contra si et Thucydides et Pausanias ab Antiochi auctoritate penderet, cum tota utriusque narratio tum singulae partes inter se congruerent. Sunt autem discrepantiae quaedam. Etenim:

α) Thucydides nihil dicit de Cnidiorum coloniae conditore Pentathlo.

β) Apud eundem nusquam invenio Cnidios e Lilybaeo promontorio urbe quadam condita ab Elymis Carthaginiensibusque depulsos Liparam occupasse. Quae quidem omnia cum Pausania Diodorus VI, 9 tradidit, Timaeum [1]) fortasse secutus.

γ) Thucydides insulam illam non appellat *Διδύμας*, sed *Διδύμην*.

δ) Contra Pausanias cumque eo, credo, Antiochus praeteriisse videtur, quod incolae Vulcano Hierae esse officinam narrabant, cum interdum fumum viderent ex humo orientem noctuque ignem. Quod quidem Pausanias nullo modo afferre omisisset, si apud Antiochum invenisset.

Rursus autem Thucydides nec de igne illo insulae Strongyles nec de Hierae calidis aquis quidquam tradidit. At nescio, quis non videat totum illum locum, quem Woelfflinus p. 13 frustra fragmento C. Muelleri adjunxit, ex eo haustum esse, quod Pausanias ipse et viderat et audiverat. Hunc dico: *Ἐν δὲ τῇ Στρογγύλῃ — ἐμβαίνεσθαι.*

Quae omnes et rerum et sermonis discrepantiae, etsi leves videntur esse, tamen testimonio mihi sunt aut Thucydidem aut Pausaniam aut utrumque ab Antiocho non posse pendere. Sed age amplius quaeramus.

Dicit enim Woelfflinus p. 14 Scymno, Diodoro, Plinio aliisque auctoribus: Augusti aequalibus septem Aeoli insulas cognitas fuisse; quas quidem Strabone auctore *Αἰολίδας*, *Ἡφαιστίδας*, *Λιπαραίων νήσους* esse appellatas. Sed licet illa aetate Aeoli insulae aliter sint appellatae: quid tandem obstare potuit, quominus Pausanias veteribus illis insulis vetus imponeret nomen? Praesertim cum tribus illis nominibus jam indicetur alii aliud fuisse cognitum. Quare persuasum mihi est non aggredi quemquam posse Pausaniae illas *Αἰόλου νήσους*. Sed de quattuor ejus insularum numero aliter se res habet, si quidem certum est illa aetate numeratas esse septem. Etenim licet quattuor

[1]) Timaei fr. 2.

illae ceteris fuerint majores, quod quidem concludendum certe est; licet eas tantum Pausanias afferre voluerit, quas Cnidii olim occupaverant; tamen non nisi ex Hecataeo, Antiocho, Thucydide, Philisto, Timaeo haurire poterat. Ac re vera quidem, cum initio fragmenti Pausanias appellet Antiochum, in posteriore quoque ejus parte secutus eum esse videtur. Quodsi res ita se habet, rursus quaeritur, cur tandem Thucydides, qui eodem Antiocho usus esse dicitur, *Διδύμην* insulam illam appellaverit, Pausanias *Διδύμας*? qui fiat, ut alia etiam eodem loco ille narraverit Pausaniae ignota?

Quamvis igitur fieri potuerit, ut et Thucydides et Pausanias inter alia quattuor quoque insularum numerum ex Antiocho hauriret, tamen aliis quibusdam rebus arbitrari prohibeor Thucydidem pendere ab Antiocho.

4) Restat ut dicam de eis locis tertii quartique libri, in quibus conscribendis Thucydidem Antiochi historiis liberrime usum esse Woelfflinus putat p. 17. Quaeritur igitur de omnibus illis proeliis, quae ab anno CCCCXXVII usque ad pacem Gelensem anno CCCCXXIV factam commissa sunt.

Ac dicit quidem Woelfflinus jam ea de causa putandum esse his quoque locis pendere Thucydidem ab Antiocho, quod, ut germanice ipsius verba afferam: „die excurse über die Charybdis und die Aeolosinseln in engem zusammenhange mit den kriegsoperationen stehen, und die bewohner jener inseln bundesgenossen der Syrakusaner waren.“ Qua tamen ratione quid probetur nescio. Hoc scio, Thucydidem in describendis illis insulis nihil certe curasse, utrum Syracusanorum an Atheniensium incolae fuissent socii. Etenim bello usque in eas regiones translato, cum nemo Atheniensis Homeri Aeolum illum ignoraret, certe Thucydidis credo erat, amplius disserere de insularum illarum et incolis et situ nulla habita ratione, utrum cum Syracusanis stetissent, necne.

At nihilominus fieri potuisse, ut Thucydides Antiochum omnibus illis locis consuleret, non negem, etsi tum omnium primum quaeritur, qua ratione et quatenus hic bellorum illorum eventus descripserit. Sed cum nullum habeamus Antiochi fragmentum, quod ad illa spectet: ex vanis hujusmodi quaestionibus quid tandem colligere datur? Ego quidem nihil invenio, nisi verisimile esse Antiochum, cum usque ad annum CCCCXXIV historiam suam scripsisse dicatur, pacem illam Siculorum Gelae factam in fine operis commemorasse. Ac quod in omnibus fere proeliorum descriptionibus verba quaedam insunt a Thucydidis sermone aliena, eo omnia illa possunt referri, quod exsuli

ei de singulis proeliis varii afferebantur nuntii variis verbis compositi. Haec igitur ut Antiochea ita aliorum quoque aequalium esse possunt.

Praeterea si Thucydides Antiochi historia usus est, pro certo credo habendum est non nisi bello Peloponnesiaco finito scribere eum potuisse. Etenim si gestis illis rebus statim opus incipere voluisset, nullo modo Antiochi libros ad manus habere potuisset, quippe quos usque ad annum CCCCXX saltem non editos fuisse Woelfflinus ipse concedat. Ac num credamus recentem tum historiam Siculam illam illico ei fuisse et notam et ad manus? Quamquam jam antea posueram in Sicilia versantem eum, scilicet post annum CCCCXIII bello Syracusano finito, et historiam illam et ipsum auctorem forte cognovisse. Sed licet ad manus eam habuerit: nonne ipsa probitate Thucydides prohiberi poterat, ne, quo libro recentes illae pugnae continebantur descriptae, eo ipse uteretur easdem tractaturus? Nonne dedecori ei erat compilare novissimorum temporum historias modo in publicum datas? Nam ego quidem credo, quamquam in omnium usu erat, aliorum libros sine vitio commisso interdum compilare, tamen futurum fuisse, ut vel ipse levissimus rerum scriptor omitteret ex illo libro modo edito sibi ipsi quidquam haurire, ne dicam Thucydides. Cujus quidem non fuisse mihi videtur alienis gloriari bonis.

Sed haec quidem hactenus.

Dicat fortasse aliquis me non nisi odioso quodam refellendi studio invehi in Woelfflini quaestiones quodam modo egregias; quo quidem negandi studio nescio quam multa nocuerint veterum scriptoribus non solum homines in litteris novi, sed etiam veterati. Attamen persuasum mihi est frustra Woelfflinum laborasse, ut argumentis firmaret Thucydidem omnibus illis locis III, IV et VI historiarum libri usum esse Antiocho. Etenim licet ea, quae de successione temporum in condendis Siciliae urbibus Graecis traduntur, Syracusanum auctorem fortasse indicent; licet ea ipsa, quae de Itali regis nomine quaeque de Siculorum emigratione ab Opicis depulsorum Thucydides scripsit, cum Antiocho aliqua ex parte congruant: tamen, cum permulta alia ab illo abhorreant, omnibus illis testimoniis non satis videtur mihi confirmari ita eum Syracusano illo esse usum, ut contendit Woelfflinus. Quare in fine quaestionum idem solum quod Poppo in Prolegomenis I, 39: fortassis Thucydidem Antiochi Syracusani libros legisse profiteor.

Corrigenda.

PP. 12 et 13 legas Zancles pro Zavcles, p. 14 Cnidii pro Cvdii.

Vita.

Fridericus Otto Boehm ante diem XVI. calendas Februarias anni 1847 in vico quodam Saxoniae, qui dicitur Nieder-Guhrig, prope ab urbe Bautzen patre hortulano, matre e gente Schirmann natus fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in paganis quibusdam ludis imbutus puer tredecim annorum in gymnasium Cottbusinum emigravi. Ineunte anno hujus saeculi LXIX maturitatis testimonio instructus almae universitatis Berolinensis civibus adscriptus et in album philosophorum relatus sum. Tertium semestre agente me bellum oritur cum Francogallis. Quare voluntariam militiam secutus cum salvus rediissem denuo linguam latinam, graecam, germanicam tractavi. Quibus quidem studiis occupatus triennio academico absoluto semestri aestivo anni 1872 praeterito Berolino decedere munusque praeceptoris domestici ruri suscipere coactus sum. Proximo anno examine pro facultate docendi Berolini probatus per semestre hibernum gymnasio Luccaviensi candidatus probandus additus nunc versor scholae realis Graboviensis magister.



OCT 7 1882
Fisher
1/4. 37
DUE DEC 29 '48


Gt 55.450
Fontes rerum Sicularum quibus Thucy
Widener Library 004518907
3 2044 085 173 748